



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Eryci[i] Pvteani Pietatis Thavmata In Bernardi Bavhvsii[i]
è Societate Iesv Protevm Parthenivm**

Puteanus, Erycius

Antverpiæ, 1617

Φ. Virginem laudat, qui adorat; adorat, qui laudat. Angelicæ Salutationis verba, ac mysteria in Proteo. Τὸ χαίρειν, Plenitudo gratiæ, Præsentia Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70659)

decadem superat. Vnus est Deus, in quo sunt omnia, & à quo: vnus, & infinitus. Virginis item Proteus, quia Dotium & siderum comparationem habet, non minùs mysterio, quàm numero versuum variatur. In imaginem stellas deducit, & tot adsciscit imagines, quot palantes polo stellæ sunt. Prorsus circumscriptum siderum chororum transcendere carmen non poterat, nisi vt varietatis miraculum imminueretur. Imò, si res dicenda est, pulchrius hîc erat, æquare stellas, quàm excêdere. maius, immensi numerum pictâ & stellatâ cæli copiâ prosequi, quàm infiniti copiam simplici verborum numero accedere. Immensum illud, vt dixi, Virgo est; infinitum, Deus. Virgo cæli imagine, Deus nullâ adumbratur. Ad summam, si formarum spectem pretium, pulchritudine suâ Marianus exsurgit Proteus. Omnino, quam laudat, refert: formosus est.

T H A V M A Φ.

Virginem laudat, qui adorat; adorat, qui laudat. Angelica Salutationis verba, ac mysteria in Proteo. Τὸ χάριεν, Plenitudo gratia, Præsentia Dei.

NON simplici cultu Pietas contenta est: vt laudet Virginem, adorât; vt adoret, laudat. Pium puta Proteum, hoc agit: laudat Virginem, sed

sed salutat; adorat, sed salutat. Sic humanitatis officium in religionis mysterium commutatur. Nihil noui. Cælestis ad Virginem Legati vox fuit: Χαῖρε κεχαρισμένη, ὁ Κύριος μετὰ σε: *Aue gratiâ plena, Dominus tecum.* hanc Proteus vocem, sed mutatâ verborum imagine exprimit. reddit cælo vocem, quam terra acceperat. Quod Pij omnes dicunt, dicit Proteus: millies dicit, quod semel Angelico ore prolatum est: semel dicit, quod millies, millies, millies quotidie in orbe Christiano pronuntiatur. Recensẽ precantium consentiumque Virginem cœtus: toties adhuc Gabriel loquitur. Audi Proteum, & cœtus omnes audis. Hi voce, illi silentio, nemo non affectu clamat: *Aue gratiâ plena, Dominus tecum.* Et clamat Proteus, sed alio, alio, alio versu, semp̄erque eodem. Cùm Dotes Virginis cum sideribus comparat, Virgineæ Salutationis formulam comprehendit. Hic χαῖρε, hic κεχαρισμένη, hic ὁ Κύριος μετὰ σε. O pium versum, & verè Parthenium! ô pulchrum Proteum, & iam Angelicum! Gabrielis sumat imaginem, & primæuo adhuc salutis mysterio salutari Virginem putabo. Quidni putem? Ecce compellat Virginem, & hoc *Aue* est; laudat, & hoc *Aue*; veneratur, & hoc *Aue*. non minùs affectu pietatis, quàm voce τὸ χαῖρεν designatur. Iam verò Plenitudo gratiæ quid nisi Dotes sunt, sed cum sideribus collatæ? Plenitudo mensuram

superat, & sidera numero suo plena sunt. Cælum nomina, & quid sit *κεχρητωμένη*, intelligam: imò cælum nomina, & adesse Deum fatebor; adesse etiam, cùm non nominas. Denique nominat Angelus τὸν Κύριον: Proteus ostendit. In cælo Deus est: si nec hoc satis, in Virgine Deus est; cælo Virginem Deus collocavit.

T H A U M A X.

*Pietate in Cælum ascendi. Septem orbium concentus
versum Parthenium expleri. In ogdoade Septe-
narius. Proteus velut Orpheus.*

STRATAM ad Aeternitatis templa viam video, & patentem limitem. Quò ascendit Proteus, mente perueniam. Tantum iter Pietas conficit: & propitio numine tollit affectum Virgo, quo colitur. Vincam hanc terram corporis mei, ab astris submisso igni: ignis ipse fiam, & ad ætherem, ad Virginem enitar. Humanæ valete curæ, valete mixtæ amœnitates curis: pulchriorem ex hac Arce Arcem video: domicilium Virginis, Aeternitatis Regiam, non stellis iam, sed Virginis Dotibus illustrem, non motu, sed versu vocalem. Ecce vnus hic omnia astra & asterismos Proteus facit, vnus omnium orbium concentum efficit. In Cælo orbes, siue globos numerosa; in versu voces, siue dictiones. *Hic & in*
cælo